Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1241
Quelle:
Copyright:

rum alias Sancti stephani Wyenne tanquam *Executoris vnici* Brevis dati a *Bonifacio IX. Chunrado Ammann de Chaufurn baccalario in decretis* ad consequendum Beneficium *si cum cura viginti quinque, si uero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti.* Literae hae diriguntur ad Episcopum *Patauiensem*, qui non nominatur; erat vero *Georgius I. Hohenlohicus*, et ad Capitulum. Notae chronologicae abscissae sunt, sed Breve *Bonifacii* insertum datum est *anno Pontificatus primo*, id est, 1390. Cum igitur *Antonius* in munere Praepositi non nisi a. 1391. confirmatus fuerit, Literae ipsae ad hunc, vel sequentem annum erunt referendae. Vide de eo *Specimen Hist. Cancellarior. Univ. Vien.* p. 44.

DXLIV.

U. 111 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. currente calamo perscriptus continet: I. Lecturam in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* hoc initio: *Circa primam distinctionem 3ij queritur primo Vtrum dei filius in temporis plenitudine assumpserit humanitatem in suppositi unitatem* &c.

II. *fol.* 178. p. 2. Excutitur Quaestio: *Utrum super aliquo decalogi precepto possit fieri dispensacio. R. sic. super obseruacione sabbati de facto dispensatum est* &c.

III. *fol.* 185. *Incipiunt contradictiones sancti Thome. In articulis subscriptis contradixit sibi frater thomas tam in summa quam in scriptis* (in Libros Sententiar.) *vnde frequenter videtur dicere contraria.* Referuntur dein Articuli. Memini obiter, simile quid me olim impressum vidisse titulo *Contrarietatum*, ni fallor, *S. Thomae.*

IV. *fol.* 188. *Articuli in quibus magister* (Sententiar. Petr. Lombardus) *non tenetur.* Etiam hi feruntur olim editi, addito subinde, non teneri a *Magistris Parisiensibus.*

V. a *fol.* 189. ad finem Supplementa ad *Lecturam* supra indicatam, et alia Notata theologica, unde Codicem Professoris cujusdam *Vien.* fuisse liquet. Non tamen convincit manus moderna, quae Thecae anticae inscripsit: *Varia Notata D. Haselpachij*, nullo argumento adlato.

DXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 469 Folior. 398. f. lineis longis luculente exaratus et rubricis distinctus continet I. *Quaestiones* fuse tractatas in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi*, quarum prima: *Vtrum solius verbi persona sit humane nature personalis subsistentia?* et postrema: *Vtrum lex christi euangelica et diuina a lege eterna determinata sit eminenter continens omnem aliam legem ut perfecte vite regula mencium in deum directiua?* ad cujus calcem legitur: *Et sic est finis tercij libri sententiarum Deo gratias Anno &c.* (14) XXIII°.

II.